

cramenti esse quod sit signum practicum gratiæ.

XLVII. Confirmatur secundo: Fides protestata per sacramenta causabat gratiam moraliter in illis sacramentis, ita quod non solum se habebat ut conditio, sed ut vera causa in genere morali; sed ad id non sufficiebat fides nisi ut protestata in sacramentis externis: ergo ipsa protestatio sacramentorum non solum ut conditio, sed ut causa moralis conferebat gratiam. Præsertim, quia protestationes illorum sacramentorum erant tamquam fidejussiones, et promissiones gratiæ; fidejussio autem causa moralis est, et non solum conditio ejus, quod datur, cum secundum valorem fidejussionis detur id quod datur.

XLVIII. Confirmatur tertio, quia in lege veteri et naturæ plura sacramenta erant per se instituta ad remissionem peccati originalis et actualis, ut supra quæst. LXI determinatum est: ergo per se ordinabantur ad primam gratiam, si quidem remissio horum peccatorum non fit nisi per primam gratiam; et consequenter erant sacramenta mortuorum secundum proprias rationes, et primam sui institutionem: ergo aliquando deberent dare primam gratiam, alias frustrarentur semper effectum, ad quem per se primo ordinata erant. Non poterant autem dare primam gratiam, quæ est effectus ad quem per se ordinantur, si necessario et per se supponebant contritionem in subjecto: ergo illis sufficere debebat attritio, ut effectum per se primo institutum darent: sacramentum autem quod facit ex attrito contritum, habet dare gratiam ex opere operato vi sua, et non ut conditio: ergo id communicabatur antiquis sacramentis.

XLIX. Respondetur ad principale argumentum, quod conferre gra-

tiam ex opere operantis, et ex opere operato, si sumatur ly opus operatum active, et ut sumitur communiter, non sunt immediate opposita, sed datur medium, scilicet, dare gratiam ex opere operato passive, quod simpliciter non est dare, sed ad præsentiam illius ab alio dari. Itaque certum est, quod illud opus, ratione cujus Deus dat gratiam, vel debet esse opus operatum, vel opus operantis. Cæterum quod hoc opus operatum active se habeat ad dandam illam gratiam, sive moraliter sive physice, hoc non est necesse; et hoc solummodo negamus, circumcissionem non dedisse gratiam parvulis ex opere operato, quamvis dederit illam ex opere operato passive, id est, ad passivam ejus susceptionem Deus dederit parvulo, ipsa circumcissione non conferente vim activam, nec physice, nec moraliter.

L. Ad primam confirmationem respondetur, non esse de ratione signi practici quod ipsummet signum effective sit operativum sui significati, sed sufficit quod habeat pro fine opus. Sicut enim intellectus practicus est qui habet pro fine opus; et ad hoc sufficit quod dirigat ad opus, licet non efficiat illud; sic signum practicum est quod habet pro fine opus, licet non efficiat illud. Nihil enim amplius habet signum practicum, quam explicare et representare intellectum practicum, et eo modo quo intellectus practicus se habet ad objectum suum, eo modo in representando se habet signum practicum ad suum signatum. Quodcumque ergo signum aliquod non habet solum pro fine ipsum representare, seu facere cognoscere, sed ulterius ordinatur ad aliquod opus extra præcisam cognitionem, practicum est, et non solum speculativum, sive ipsum signum opus illud exequatur, sive non: hoc enim non pertinet ad rationem signi pra-

ctici, licet si illud habeat perfectius signum practicum erit.

LI. Sufficit ergo ad signum practicum, quod ita ordinetur ad opus, ut in ejus exercitio fiat tale opus; et ejus significatio ordinetur, ut ratione ejus aliquid præter cognitionem habeatur, aut obtineatur. Unde promissio exterior, et fidejussio, cæteraque signa, quibus contractus perficiuntur, sunt signa practica, quamvis non efficiant id quod promittitur aut donatur. Et similiter traditio annuli constituit et investit episcopum; et traditio baculi abbatem, et sunt signa practica, quamvis non efficiant episcopatum, aut abbatialem dignitatem, etc. Nec intellectus ipse practicus oportet quod efficientiam habeat in objectum exterius, circa quod versatur, quidquid sit de efficientia quam habet in voluntatem aut alias potentias: et similiter neque signum practicum in objectum significatum debet habere efficientiam.

LII. Quando ergo dicitur in argumento, quod signum practicum debet operari id quod significat, distinguo ly operari; per se ipsum id exequendo et efficiendo, nego; habendo ipsum opus pro fine suæ significationis, etiamsi alio exequente et efficiente, concedo; et sic salvatur signum practicum quando habet has duas conditiones, scilicet, quod non solum ordinetur ad representandum intellectui et faciendum cognoscere, sed etiam ad opus; et deinde si in exercitio talis signi detur, seu fiat id quod significat (etiamsi ab alio procedat) perfectius tamen practicum signum erit, si a seipso procedat et fiat ipsum opus.

LIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod alia ratio erat de fide, alia de protestatione ejus externa. Fides enim habebat Christum in intentione, et ut objectum cognitum; et ideo mediante fide Christus per modum intentionis

et finis causabat sanctificationem; qui modus continendi Christum erat sufficiens, ut in genere morali diceretur causare: at vero ipsis signis externis non communicabatur virtus, seu valor passionis Christi per modum intentionis; rebus enim sic externis non potest per modum intentionis aliquid communicari, nec sunt capaces moralitatis illius. Et alias non poterat communicari valor ille ut exhibitus, et secundum virtutem efficientem, quia nondum Christus passus erat; unde non operabatur active, nec physice, nec moraliter, cum tamen magis esset capax fides hujus communicationis per modum intentionis factæ, quam externa signa.

LIV. Nec obstat, quod se habebant ut fidejussiones, et promissiones Christi futuri. Non enim in ipsis externis signis erat valor fidejussionis, sed in fide; ipsa vero solum erant protestationes talis fidei. In fidejussione ergo duo possumus considerare, unum est ipse valor fidejussionis aut promissionis factæ: aliud est scriptura, seu testimonium talis fidejussionis: hoc concurrat moraliter ut conditio; illud ut causa. Sic in sacramentis antiquis ipsa signa et externa elementa se habebant ut scriptura fidejussionis, et sic concurrebant ut conditio moralis; fides vero Christi venturi erat valor in quo fuse habebatur remissio peccatorum, et pacificatio hominis ad Deum.

LV. Ad tertiam confirmationem dicitur, quod illa sacramenta, quæ erant instituta ad remissionem peccati, vel originalis vel actualis, non erant instituta ut habentia vim et activitatem ad talem remissionem; et ideo nec correspondebat illis remissio peccatorum, ut proprius effectus per se ab eis pendens, et efficiendus; sed instituebantur ut signa, et protestationes requisitæ ad remis-

sionem peccati. Valor tamen et vis ad remittendum, non ex ipsis sacramentis, sed ex dispositione et contritione suscipientis, si adultus erat, sumebatur. Unde omnes illæ consequentiæ argumenti non valent, quia deficient in illo, quod remissio peccatorum esset per se proprius effectus talium sacramentorum, cum tamen ipsa non instituerentur ad primam gratiam tamquam per se causæ, sed tamquam per se requisita signa et conditiones: nostra autem sacramenta instituuntur ut per se causæ, et ideo ei sunt proprie sacramenta mortuorum, et faciunt ex attrito contritum; illa autem non sic, sed solum secundum quid sunt mortuorum sacramenta, scilicet, ut conditiones et signa.

LVI. Tertio arguitur: Si ad remissionem peccati originalis et actualis requirebatur contritio cum sacramento circumcisionis: ergo semper supponebatur remissum peccatum ante ipsam susceptionem circumcisionis aut sacramenti; et consequenter ipsa sacramenta neque active, neque passive conducebant ad remissionem peccati, et primam gratiam dandam, si quidem ante illa sacramenta jam gratia erat data per contritionem: ergo quando suscipiebatur sacramentum, vel Deus dabat novam gratiam ad præsentiam illius susceptionis, vel non; si dabat: ergo ultra propriam dispositionem correspondebat circumcisioni distinctus gradus gratiæ, et sic habebat per se valorem ad dandam gratiam, quod supra negatum est: si non dabat Deus distinctam gratiam: ergo neque active, neque passive conferebant illa sacramenta ad habendam gratiam in adultis, si quidem non dabat Deus ad præsentiam illorum gratiam, sed ratione solius præcedentis dispositionis.

LVII. Confirmatur, quia alias cir-

cumcisio solum serviret adultis ut externa cæremonia et ritus, non ut sacramentum, si quidem non magis se habebat ad gratiam acquirendam quam usus alterius cujusvis cæremonia religiois. Item nullius esset utilitatis, quia si supponebat semper peccatum remissum per contritionem, quam ut dispositionem requirebat, et consequenter semper supponebat primam gratiam in subjecto; circumcisio autem ad primam gratiam ordinari debebat in quantum sacramentum: ergo si nunquam illam dabat, nec ei correspondebat alius gradus gratiæ ultra primam, clarum est quod superflue se habebat in ordine ad gratiam. Ac denique, quia Abraham accepit circumcisionem in signum justitiæ, et gratiæ collatæ ex opere operato: ergo præter opus operantis gratiam dabat etiam adultis.

LVIII. Respondetur, quod contritio non remittebat peccatum originale in adultis nisi cum ordine ad sacramentum circumcisionis, et dependenter ab eo ut a signo externo protestativo fidei; et ideo contritio si antecederet, susceptionem circumcisionis remittebat quidem peccatum, cum ordine tamen ad illam; si autem non antecederet circumcisionem, in ejus exercitio remittebatur peccatum; ita tamen, quod a circumcissione non habebatur valor gratiæ, et justificationis dandæ, sed a sola dispositione et fide. Sicut ergo nostra sacramenta, licet dispositionem requirant ex parte nostra, non tamen remittitur peccatum sine ordine ad illa; ita et sacramenta antiqua. Est tamen differentia, quod in nostris efficacia et vis ad dandam gratiam provenit ex sacramentis; et ideo si jam invenit gratiam in subjecto, adauget illam. In illis autem antiquis non supponebatur efficacia, et gratia ex parte sacramentorum; sed solum erant signa exte-

rius protestativa fidei justificantis, continentia tamen pactum Dei ad justificandum, et ideo non augebant gratiam in subjecto; dependebat tamen ab illis justificatio, ut ab externis signis, non ut ab efficacibus instrumentis gratiæ.

LIX. Negatur ergo, quod neque active, neque passive conferunt gratiam, quia etsi valor et efficacia conferendi reduceretur ad dispositionem et fidem vivam, conditio tamen referebatur ad sacramenta, a quibus ut a conditione, illa eadem gratia, quæ mediante dispositione dabatur, pendebat. Quare non dabant novam gratiam ultra propriam dispositionem; et tamen quia requirebantur eadem sacramenta ut conditiones et protestationes fidei, et in parvulis ad earum positionem Deus solus dabat gratiam, in adultis vero ad ipsorum positionem, et juxta dispositionis propriæ valorem; ideo gratia illa, quæ dabatur per sacramenta in parvulis dabatur ex opere operato passive; in adultis vero mediante opere, operantis, id est, per dispositionem propriam ipsorum, cum dependentia tamen a sacramento, ut a conditione requisita, et protestatione fidei justificantis. Et ita in omnibus verificatur, quod ad præsentiam illorum dabat Deus gratiam, secundum valorem tamen dispositionis, et dependenter a sacramento.

LX. Ad confirmationem respondetur, circumcisionem non se habuisse solum ut ritum, et cæremoniam, sed ut sacramentum, si quidem erat signum gratiæ practicum, continens promissionem et pactum Dei, et respectu gratiæ futuræ dandæ per Christum, et respectu præsentis; quæ tamen non dabatur secundum valorem ipsius sacramenti, sed secundum valorem fidei vivæ. Et quia dispositio suscipientis ordinari debebat ad istam protestationem ex-

ternam (quia sicut dependebat a Christo, ita et pro illo statu a sacramento protestante Christum) ideo non se habebat illa protestatio ut quævis alia cæremonia religiosa, sed ut sacramentum.

LXI. Ad id quod dicitur: Nullius fuisse præcise utilitatis circumcisionem, si dispositionem requirebat, quæ remitteret peccatum, scilicet contritionem, respondemus verbis Apostoli ad Romanos tertio: *Quid ergo est amplius Judæo? Aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei, etc.* deinde vero ut dicit cap. IV: *Quia signum accepit Abraham circumcisionis, signaculum justitiæ fidei;* et protestatio illius, quæ certe cum fide conjuncta multæ utilitatis erat: sine fide autem, sive se sola, vacuum erat elementum; et ideo ex illis operibus non justificabatur Abraham. Manifestum est autem, quod illud signaculum justitiæ fidei requirebat pro dispositione fidem vivam, seu sufficientem ad justificandum. Componens enim Apostolus fidem illam circumcissioni, dicit: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, Rom. III. Loquebatur ergo de fide sufficiente ad justificationem, quæ est fides viva; sine illa ergo nihil operabatur circumcisio; ad illam vero valde utilis erat, quia in circumcissione erant credita eloquia Dei (id est, tradita mysteria ejus) et tunc valde efficax erat, quia Deus justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem: non ergo superflue se habebat circumcisio, etiamsi per se non daret aliam gratiam, quam fides merebatur, aut acquirebat. Ad id quod dicitur de Abraham constat non fuisse justificatum ex opere operato circumcisionis, sed ex fide: *Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est*

illi in justitiam, Gen. xv, Rom. iii.

LXII. Postremo objici possunt auctoritates aliqua. Primo, sacrae Scripturae. Dicitur enim Genes. xvii: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*. In quibus verbis eodem modo commendatur necessitas circumcisionis, sicut et baptis- mi in illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum*, Joan. iii. Et Levitici xvii dicuntur sacerdotes expiare sanguine præva- ricationes filiorum Israel: et Apos- tolus ad Hebr. ix: *Semel in anno, inquit intrabat solus pontifex in sancta, non sine sanguine, quem offerret pro sua et populi ignorantia, id est, pro peccato*. Et patres com- munitè æquiparant circumcisio- nem efficaciam baptismi, ut Augus- tinus libro iii in Julianum, cap. xviii dicit: « Quod non plecteretur tanta pœna, qui non circumdebatur nisi a peccato, tanto illo sacramen- to liberaretur: » et in quinto hypo- gnost. circa medium dicitur: « Quod circumcisio gratiam baptismi ges- tabat: » et libro iv de baptismo, cap. xxiv ait Augustinus: « Ex circum- cisione posse nos conicere quid valeat in parvulis sacramentum baptismi: » et Innocentius capite Majores, de baptismo dicit: « Quod sicut per baptismum, ita per cir- cumcisionem remittebatur origina- lis culpa. Cui etiam concinit Ber- nardus sermone xx de assumptione: « In baptisate sola gratia lavat

hanc maculam, quam olim rasi- petra circumcisionis: » et similia multa in patribus passim inveniun- tur.

LXIII. Respondetur omnes istas auctoritates probare ad summum, quod in parvulis remittebatur pec- catum originale per circumcisio- nem: quod vero id præstaret cir- cumcisio ex opere operato active, hoc non dicunt; quin potius maxi- me cum Apostolo in hoc evacuunt circumcisionis vim, et extollunt ef- ficaciam baptismi. Et quidem Au- gustinus solum ostendit contra Pelagianos, quod in parvulis ali- quod peccatum est, quod indigeat aboleri per Christum, si quidem circumcisio dabatur parvulis in re- medium peccati; alias non dicere- tur quod periret anima masculi, qui non fuisset circumciscus. Et inde ducit argumentum, quod etiam si- militer baptismus remittat peccatum originale, sicut faciebat circumci- sio. In adultis autem expiatio quæ fiebat in sanguine, clarum est quod non fiebat virtute aliqua et efficacia, quam sanguis illorum sacrificiorum haberet: *Impossibile enim est san- guine taurorum et hircorum auferri peccata*, ut ait Apostolus Hebr. ix; solum ergo ratione operis operantis et fidei, adjuncto sacrificio illo exte- riori, et protestatione Christi ven- turi fiebat expiatio, et propitiatio peccatorum; sine contritione au- tem non habebant ad id vim illa sacramenta.

QUÆSTIO LXIII.

DISPUTATIO XXV.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

ARTICULUS I.

Utrum sacramentum imprimat ali- quem characterem in anima?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA

I. Ubi D. Thomas sumit ly sacra- mentum indefinite, vel ut æquiva- lens suppositioni determinatæ, ac si diceret, utrum aliquod sacramen- tum imprimat characterem, et af- firmative respondet. Intelligit au- tem S. Thomas per characterem, signum illud, quod aliquid ab alio distinguitur, seu signatur ut distin- guatur. Et sic character est signum distinctivum et configurativum; distinctivum quidem, quia discer- nit ab aliis; configurativum autem, quia assimilat ei, cujus tale signum est proprium; sicut rex configurat monetam propriis insignibus et armis. Et ex hoc derivatur, quod quidquid ponitur in aliquo ad de- putandum ipsum ad aliquid distinc- tum (per quod scilicet distinguitur ab aliis et configuretur alteri) di- citur character, sive corporale sit, sive spirituale. Et quia per Chris-

tum solum spiritualiter distingui- tur ab aliis, qui ejus religione ini- tiatur, et ei spiritualiter configura- tur; ideo de characterem spirituali inquit S. Thomas, an per sacra- mentum imprimatur.

II. Conclusio autem S. Thomæ de fide est, scilicet aliquod sacramen- tum imprimere characterem. Nam quod tria imprimant, definitum est in Tridentino sess. vii, can. ix, et in Florentino in decreto de sacra- mentis, et in capite Majores, de baptismo. Et est frequentissima in sanctis patribus, qui de baptismo agentes, agnoscunt signaculum per illum imprimi, et indelebilem cha- racterem, quo anima baptizati con- signatur. Et videri potest Augus- tinus in secundo contra Parmenam, cap. xiii; et Basilius homilia xii, quæ est exhortatio ad baptismum; et Cyrillus præfatione in catechesibus, et catechesi iii et iv, et alii multi patres. Habet autem fundamentum in sacra Scriptura, præsertim in lo- co allegato a S. Thoma, in argu- mento Sed contra, ubi dicitur ex Apostolo ii ad Corinthios primo: *Qui unxit nos Deus est, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*: et Ephes. i: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, etc.* In quibus locis Apostolus aperte loquitur de signatione spirituali: « Et quæ fit non solum per speciem visibilem in corpore, sed veritate in corde,